



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

Serenissimo Principi Electorali Maximiliano Josepho Utriusque Bavariae Et
Superioris Palatinatus Duci Comiti Palatino Rheni, Landgravio
Leichtenbergensi, Domino Domino Clementissimo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

SERENISSIMO
PRINCIPI
ELECTORALI
MAXIMILI-
ANO
JOSEPHO

UTRIUSQUE BAVARIÆ

ET

SUPERIORIS PALATINATUS

DUCI

Comiti Palatino Rheni, Landgravio Leich-
tenbergensi,

DOMINO DOMINO
CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME PRINCEPS ELECTORALIS.



Uod olim à Platone dictum
fuit, *florere nimirum Respublicas, si
aut Philosophi imperarent, aut Impera-
tores philosopharentur*, luculenter
comprobavit Marcus Aurelius,
qui uti erat scientiarum disci-
plinis cultissimus, ita suis imperavit felicissimè.
Ut hanc imperii felicitatem Sapientissimus Impe-
rator propagaret ulterius, prima Illi cura fuit,
ut undique conquireret viros doctos & graves,
qui-

quibus Filium suum Commodum traderet educandum, asserens sæpius, *In Principe plus valere unum annum disciplinæ, quàm XX. annos deliciarum.* Optabat nempe optimus Pater (etsi votis non responderit successus) ut quemadmodum Filius Commodus hæreditatem Imperii ab Ipso erat accepturus, sic à Diis pietatem, à Philosophis scientiam, ab antiquis Romanis virtutes, à Senibus & usu peritis consilia, ab Heroibus animum, à Magistris tranquillitatem & solertiam, à Bonis denique bonum acciperet, atque convenientissimum. Idem sentiebat inter Græcos Alexander M. qui, quantum deberet Præceptori suo Aristoteli, luculentis testimoniis palàm fecit omnibus; nec erubescere jam admotus Imperii fascibus sapientes adire, atque consulere, *Principes, dictitans, dum servi essent Sapientum, Magistros, & Dominos evadere Univerforum.* Et hæc quidem rectè; cùm enim Princeps sit imago quædam Summi Numinis, sapientissimè omnia gubernantis, præprimis convenit, ut sapientiam amet, eamque exoptet votis omnibus, ut & sibi & aliis consulat quàm optimè. Inde est, quòd sapientissimus Regum Salomon, eam reliquis omnibus præposuerit, *Quoniam horum Mater est.* *Sap. 7.*

✕

At

At unde veram sapientiam hauriemus? Id nobis insinuat Ecclesiasticus, dum ait: *Initium sapientiae timor*, ac proinde cognitio *Domin*i. Ille enim verè sapiens est, qui aeternae Sapientiae Fontem, Dominumque suum cognoscit, amat, & filiali timore observat, quæ Patri ter Optimo Maximo placita sunt, faciendo semper. Viam porrò, quã ad Supremi Numinis cognitionem pervenimus, ostendit nobis Lumen Fidei & rationis: utrumque Tibi, Princeps Serenissime, abunde suppeditat Natale solum, in quo, dum primam aspexisti lucem, Tibi affulsit Lux Fidei purissima, quam à tot sæculis Progenitores Tui servarunt illibatam. Nec defuit natura, quæ Te tot ornavit dotibus, ut eas in dies miremur magis, nec admiremur satius. Eam certè adeptus es ingenii, memoriæque felicitatem, ut vix primos rationis annos ingressus, jam nobis explicares Universi Orbis Terraquei descriptionem, percurrento Regionem omnes, Regna, Principatus, Urbes, Dominia, Maria, Flumina, suis omnia nominibus, loco, ordine designando, atque ista tam promptè, tam clarè ac distinctè, ut omnium, qui Te audiebant, vinceret expectationem.

Cum jam uti ætate, ita crescas & intelligentia, Mundum hunc Aspectabilem, Sapientif-

tissimi Numinis artefactum, Tibi offero, non
oculis modò corporis, uti hæcenus fecisti,
sed oculis etiam mentis considerandum: *A*
magnitudine speciei et creaturæ poteris cognosci- ^{Sap. 13.}
biliter Creatorem omnium videre. Videbis in eo
summi omnium Conditoris, & condita gu-
bernantis Majestatem, Sapientiam, Poten-
tiam, Bonitatem, Providentiam, & innu-
meras, immensâsque perfectiones alias: vi-
debis immortalis animi Tui nobilitatem &
excellentiam, qui ad imaginem Dei effictus,
Deo quodammodo similis est, similisque ca-
pax felicitatis. Laudatur equidem in Prin-
cipe, præsertim Boico, Magnanimitas, ani-
mique celsitudo, cum fortitudine Leonina;
adhuc tamen *melior est Sapientia fortitudine:* ^{Ecd. 9.}
optimum, si prælucente Majorum Tuorum
exemplo, in Te Uno jungas utramque. Post
tot alios è Domo Tua Sapientissimos Duces,
Heroësque Fortissimos, præluet, quem præ
oculis habes, Serenissimus Pater Tuus CA-
ROLUS ALBERTUS, Elector ac Dominus
noster Clementissimus, omni scientiarum,
ac disciplinarum genere, quæ Principem de-
cent, cultissimus. In eo mirari potes excel-
sam illam animi fortitudinem & Sapientiam,
quâ nihil tam abstrusum, quod non perspice-
re; nihil tam intricatum, quod non eno-
dare; nihil tam arduum, quod non valeat
fu-

superare, ut adeò tantum Principem universa suspiciat Europa.

Cum ab Ipso animum & dotes Principe dignas acceperis hæreditarias, addo ego, Tibique consecro magnum illum librum, rerum omnium universitatem, quem digito suo conscripsit Deus, quem olim mecum evolvit Patruus tuus, Serenissimus DUX FERDINANDUS, Princeps gratiis & naturæ donis ornatissimus, qui cum militari fortitudine & rerum intelligentia, eâ est in agendis prudentia & comitate, ut omnibus amoris sit & admirationi. Magnum est, quod continet liber iste, etsi, quod à me est, modicum: volve & revolve, ut, dum Serenissimo obtutu Tuo eidem splendorem affundes, in Te Ipsum redeant vitales radii: *Hoc enim habet Eccl. 7. Eruditio & sapientia, quòd vitam tribuunt Possessori suo.* Id ego, dum Tibi ad Tuam, totiusque Patriæ Felicitatem & Gloriam precor ex animo, munusculum hoc ad Tuos pedes cum omni submissione depono, ut, si tot acceptis à Serenissima Tua Domo gratiis ex æquo respondere non possim, propensissimo saltem animo ac studio me Ejusdem obsequiis consecratum profitear.

Servorum infimus
Josephus Falck S. J.